



**Bavaria Sancta Maximiliani Sereniss. Principis Imperii,
Comitis Palatini Rheni, Vtrivsq. Bav. Dvcis Avspiciis**

Rader, Matthäus

Monachii, 1615

S. Reginbaldvs Ex Abbate S. Vdalrici Avgvstæ, Eberspergensis,
Lavrishaimensi, Episcopvs Spirensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79686](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79686)

DE S. REGINBALDO
S. REGINBALDVS
EX ABBATE S. VDALRICI AVGVSTÆ, EBERSPER-
GENSI, LAVRISHAIMENSI, EPISCOPVS SPIRENSIS.

CXXXIX.
CXXXIX.
Ex tabulis
Ebersperg.
Chronico
Spirensiu
Episc.
Catal. ab-
bat. S. V-
dalrici.
Annal.
Laurisha-
mensibus.
Bruschius
in Abb.
Mon. S. V-
dal. Aug.



Reginbaldus, vel, vt in Eberspergensibus chartis lego, Reginpoldus, seu Reginboldus, August. Vinde. Eberspergā euocatus, vndecimq; annos in Boicā versatus, magnam sibi virtutis & pietatis laudem collegit. Sed præcipuè benignitas ejus in pauperes p̄dicatur. Ebersperga ad Lorishamense Cœnobium missus à Conrado Salico demum impositus est sedi apud Nemetes Spirensi, pontificemque egit annos VII. qualem decebat illum, qui ex longā & religiosā disciplinā ad infulam inuitus esset protractus. Traditur ex S. Vdalrici gente Dilinganorū Dynastarum profectus. Abbatem Augustæ scribitur egisse anno Christi CIO. XII. nec amplius triennium præfuisse. Chartæ Eberspergenses mendosum habent numerum, quando signant annum CIO. I. & Henricum III. procūl omnia à vero, vt ratio temporum docet. Agnosces hunc etiam inter Diuos Augustanos, vbi res ab eodem gestas compendio scriptas leges. Laudatur ejus pensilis lychnuchus Spiræ, hodièque in æde summā spectā-
dus, & hoc carmine, quāuis rudi, circum extremā orbitā inscriptus:

Cernitur in medio Seraphin celsissimus ordo,
Eximius merito qui præsidet altus olympo.
Est Cherubin dictus celsissimus ordo secundus
Hinc angelis similes consistere laude tonantis
Cætus & angelicus reliquis Sanctis venerandus
Collaudat Dominum propriā Deitate respectum.
Formantur verè post almi quinq; Prophetæ
Spem magnam nobis qui prædixere salutis.
Virgo Dei genitrix, spes mundi, gloria, nutrix,
Gemma pudicitie, regali nat a radice.
Hinc Patriarcharum deuotus cerne senatus,
Hospitio Dominum qui sæpè recepit alendum.
Virgineo VERBUM portasti corpore CHRISTVM,
Qua Regem Regū generans sub tempore legum.
Hinc duodenus apex equo discrimine iudex
Secernit justos ab iniquis igne cremandis.
Istud non magnum dignantur suscipere donum,
Quod Reginbaldus tibi præsul reddo misellus:
Munere sed paruo videas me cordis in aruo
Osse dabit mentem, simul & prolongat agentem
Pro peccatorum miseranda mole meorum,
Non tantum præsto, quantum tibi debitus exto,
Si Pater ac Natus Deus vnus Spiritus almus
Est quod velle meum tibi plus donare paratum.
Posito spiritu, cælo receptus est CIO. XXXIX.

S. REGIN-

S. REGINALDVS EPISCOPVS SPIRENSIS.



Odii quarentes, fugientes GLORIA querit;
 Ut sequitur corpus, corpus ut umbra fugit;
 Unde tibi surgunt tot REGINALDE tiare?
 Cui grauis omnis apex, est honor omnis onus;

Scilicet ut ferrum ducit Magnesia cautes,
 Mitrarum titulos sic tua vita trahit.
 Rhetia, Boia, Nemes tua præsul nomina poscant
 Nomina dum spernis plurima, plura capis.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS
PUBLISHED BY THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS
CHICAGO, ILL. 60637
1984